

Ego sum ostium ovium.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 1-10

In illo témpore: Dixit Iesus:

- ¹ «**A**men, amen dico vobis:
Qui non intrat per óstium in ovíle óvium,
sed ascéndit aliúnde,
ille fur est et latro;
² qui autem intrat per óstium, pastor est óvium.
³ Huic ostiárius áperit,
et oves vocem eius áudiunt,
et próprias oves vocat nominátim et edúcit eas.
⁴ Cum próprias omnes emíserit, ante eas vadit,
et oves illum sequúntur, quia sciunt vocem eius;
⁵ aliénium autem non sequéntur, sed fúgient ab eo,
quia non novérunt vocem alienórum».
- ⁶ Hoc provérbium dixit eis Iesus;
illi autem non cognovérunt quid esset,
quod loquebátur eis.
- ⁷ Dixit ergo íterum Iesus:
«Amen, amen dico vobis:
Ego sum óstium óvium.
⁸ Omnes, quotquot venérunt ante me,
fures sunt et latrónes,
sed non audiérunt eos oves.
⁹ Ego sum óstium:
per me si quis introíerit, salvábitur
et ingrediétur et egrediétur et páscua invéniet.
¹⁰ Fur non venit, nisi ut furétur et mactet et perdat;
ego veni, ut vitam hábeant et abundántius hábeant».

Verbum Dómini.